



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem
Contagiosam Aliosqve Morbos**

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XXXVII. De S. Osvaldo VVigorniensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

que illis secundum opera sua . ita Dauid , ita Zacharias Pontifex , ita Machabæi , ita Paulus , inquit ita & ipse Christus contra hostes & persecutores suos cum illis ad Deum appellauit , dicens : Ego non quæro gloriam meam ; est qui quærat & judicet .

C A P . X X X V I I .

De sancto Oswaldo Wigorniensi Episcopo.

Surius
15. Oct.

Sanctus Oswaldus nobilissimâ stirpe in Anglia ortus , ab Odone Archiepiscopo Cantuariensi patruo suo , Floriacensis Monasterij fratribus Benedictinis commendatur , ibidemque Monachus effectus Wigorniensi Episcopatui præficitur . Eo tempore anno scilicet 970 . Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis auctoritate Roman . Pontificis Ioannis XIII . Concilium Generale in Anglia celebrat contra incontinentes Clericos , statuitque ut Canonici omnes , presbyteri , diaconi , subdiaconi aut castè viuerent aut Ecclesias quas tenebant , dimitterent . executio decreti Oswaldo Wigorniensi , & Ethelvoldo Wintoniensi Episcopis data fuit . Ethelvoldus sepiùs Ecclesiæ suæ Canonicos admonuerat correctioris vitæ semitas relictis feminis arripere . at illi in præsentiarum id sibi impossibile esse dicentes , vocé coruinâ semper in crastinum correctionem sui pollicebantur . quod ille gnarus , non diu sustinuit . paratis namque quamplurimis Monachorum cucullis , de quo Communio , Seruite Domino in timore , cantabatur , chorum intravit , vestes quas parauerat secum deferri faciens . &

pro-

projectis illis in medium, ait Canonicis: Animaduertistis quid modò cantaueritis? Animaduertimus, inquiunt. Igitur, inquit, si seruire Domino in timore & ei vultis exul- Psal. 2.
tare cum tremore, apprehendite disciplinam, vestem sci-
licet Monachalem ne pereatis, sicut cantastis, de via ju-
sta. Illi obstupefacti petitis inducijs, id se facturos in fu-
turo, promittunt. tunc ille: Mihi credite amplius non
credam huic vestræ responsioni coruinæ. Sed aut disci-
plinam apprehendetis in præsenti, aut loci istius benefi-
cij & conuersationi hinc eliminati, jam jam cedetis.
Itaque nonnulli ex illis statim abiecto clericali habitu,
Monachi facti sunt, ceteris verbo Pontificis de Ecclesiâ
eliminatis. Cantatur hęc Communio feriā sextā & Sab-
bato post Dominicam Quinquagesimæ.

Non segnior in executione eiusdem decreti fuit hic
noster Osvaldus qui in sua dioceſi septem monasteria
electis Clericis incontinentibus, cōstruxit atq; Abbates
eis p̄fecit. In quibus Abbas Perforensis Fulbertus Reli-
gionis quidem monasticæ feruens zelator, sed tamen in
subditos nimium ſeuens ob idque post obitum in fere-
tro repositus erigens se dixit, à beato Benedicto ad con-
ſpectum Dei se perductum fuisse & increpatum, sed ob
merita sancti Osvaldi eiusque declarandæ sanctitatis
gratiā reuixisse. Quibus dictis conticuit, & percepto
Dominici corporis viatico dimidiū superuixit diem, rur-
sumque defunctus est. Quām autem Deo dilectus fuerit
S. Osvaldus, frequentibus miraculis declarare dignatus
est, tam in eius vita quām post mortem. vnum illud no-
stro instituto infueriet. Sæua pestis Wigorniensem Pro-
uinciam depopulabatur, & indiscriminatim omni ætati
& ſexui repentinum exitium afferebat. Plerumque am-
bulantes vel stantes subito corruebant, & sine poeniten-
tia & confessione expirabant.

B b 2

Semiania

*Semianimes errare viis dum stare valebant
Asperges, flentes alios terraq; iacentes
Hic illic ubi mors deprenderat exhalantes.*

Tunc verò Monachi sancti antistitis sui Oswaldi loculum gestantes, & per vrbis circuitum Litanias cantantes, pro salute populi Dominum deprecabantur. Et ecce confestim contagio pestifera non modò à Wigornia, sed etiam à propinquis pagis vnde ruricolæ opem S. Episcopi implorantes aduenerant, penitus profligata est, præstâte id Domino nostro Iesu Christo per merita dilectissimi sui famuli Osvaldi. Casu etiam nescio quo vrbem flamma vorax inuaserat cùm loculum S. Episcopi ad pagum deportarent, occurrit vnuis qui elegantes nuper extruxerat ædes, exclamansq; ait: O sancte Pater & pastor Osvalde ecce domum meam voracibus flammis obnoxiam tibi dono iure perpetuo possidendam. Tu eam si placet ab hoc periculo tuere. Introduxitur loculus in ædes illas, & domo vicinâ prorsus exustâ, ædes illæ B. Osvaldo commendatæ, nec ab igne potuerunt contingi, nec vllū in eis vestigium ignis extitit. Sicque & corpora à metaphorico, & ædes à materiali igne liberavit. Obijt 28. Februarij juxta Martyrologia, cùm mane solito more linteo præcinctus pedes pauperum lauisset, atque osculando eos extersisset quindecim Psalmis, quos in illo ministerio legere solebat, persolutis, subiungendo, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Cumque pauperes pro more gratias agentes surgerent, ille dicens, Spiritui sancto, ante illorū pedes in manus Christi spiritum reddidit. Cum autem corpus eius ad Ecclesiam deferretur, niuea columba è cœlo descendens expansis alis lento volatu illud protegere visa est. Vita ponitur apud Surium 15. Octob.

C A P,